

DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis, 17 Novembris 1729.

M. ELIA COL DE VILARS,
Doctore Medico, Præside.

Dantur-nè Morbi salutares?

I.



NTEGRA valetudo, punctum fugax, quo raro gaudet Homo. [a] *Quin & habitus etiam exercitatorum qui ad summum bonitatis attingunt, periculosi, si in extremo constiterint; neque enim possunt in eodem permanere, neque quiescere.* Hominem igitur vel ab ejus ortu ad occasum usque contemplaturus, totum ferè dices à naturâ morbum. Quid mirum! Solidæ & Fluidæ ex quibus constat partes, ab ordinationibus suis levi momento declives, indesinenti motu & labore illum exercent. Ambientia corpora eum continuò offendunt. Undequaque impendent ipsi inopinata pericula. Hinc tum internorum cum externorum hostium præda, sui perpetuò patitur detrimentum. Immane idcirco quot & quantis obnoxius sit morbis! Quot & quam furentibus, per universum vitæ curriculum, jactetur procellis! Vix inchoatus parentum luit pœnas. Vagitibus suam signat nativitatem. Crescit ille? Crescunt & humanæ sortis incommoda. Dolorum ægritudinumque hospitium, in deterius præceps labitur senescens. Suos quælibet ætas patitur manes, donec tandem atra nox claudat tragœdiam. Isthæc autem ma-

[a] Hippocr. Sect. 1. aph. 3.

lorum ilias non artis medendi, ſed rerum non naturalium, aut medentis culpâ; illæ quippe legitimo ſui uſu ſanitatem largientes, abuſu morbum, immò & mortem inferunt. Hic verò, nullius non morbi curationis ſatagens, irritando crabrones, ægro ſæpè figit crucem. Siſtat igitur aliquando pedem, ſagax naturæ ſpeculator, ne ſcyllam vitare cupiens, incidat in Charybdim. Haudquaquam damnoſi ſunt omnes morbi. Quandoque detrimentum in bonum vertitur.

I I.

LICET morbi, quibus affligitur corpus humanum, ſint in Solidis, Fluidorum tamen peccamina cauſam agnoſcunt. Cùm enim morbus inordinatus ſit Solidorum motus à quo functiones læduntur, omniſque Solidorum motus à Fluidorum influxu pendeat, horum motus exlex functiones lædens, morbum efficiat neceſſum eſt. Ut igitur Fluida laudabili naturâ, copiâ & motu donata, bonorum omnium; ſic à naturalibus hiſce dotibus devia, omnium microcoſmi malorum authores habeto. Adeo verum ſit Fluentis vim intùs agere, infuſamque per artus totam agitare molem, ituque ac reditu, univerſâ veluti radiatione, univerſum vivificare corpus. Hoc illius defectu, hæret immotum jacetque iners & otioſum cadaver. Licet ipſi ac viventi eadem Solidorum ſit configuratio & apparatus, nihiloſeciùs obire vitæ munia haud penes eſt illud; quia vitalis abeſt Fluentium potentia; nullus quippe Solidorum à ſeipſis motus; perennis verò Fluidorum motio. Quot viventis functiones, tot mirandi Fluidorum effectus. Conceptio, nutritio, accretio, omnia tandem vitæ munia Fluidorum energiæ accepta referuntur. Ne Solidas tamen viventis partes otioſas & inertes exiſtima. Elatere, licet à Fluidis oriundo, gaudent quo perpetim oſcillant, Liquida pinſunt, attenuant, urgent, & per omnem vel tenuiſſimorum tubulorum contextum longè latèque tranſmittunt; ſic Solida, depromptas à Fluidis vires, in Fluida viciſſim exerunt, hæcque fugam ſemper molientia coercent. Porro quandiu pacatus, expeditus & facilis eſt Liquidorum influxus, tandiu viget à morbis incolumis Homo. Verùm ubi primùm ab *idioſyncraſia* aberrant; id eſt, vel copiâ, vel penuriâ, vel lentore, vel adulterino quodam ſapore delinquunt; tunc temporis exleges fiunt motus & ſæpè peſſum abit animalis œconomia; at non antea Solidis, quam priùs Fluidis inuritur labes; quâ quidem frequentiùs cruciantur legitimæ victùs rationis neſcii. Sed ſi hominis miſera ſors tulerit ut ſummâ valetudine frui nequeat, hoc ſaltem ipſi ſit ſolatio, quod effectus contra naturam adeo felices aliquando ſuboriuntur, ut periculoſiora, imò & exitialia avertant mala.

I I I.

TANTA vis eſt humani corporis mechaniſmi, ut ſi vitalis auræ multi ſint exitus, innumeri dentur regreſſus ad ſanitatem. Etenim mirabilis illa machinæ humanæ ſtructura; Liquidorum Solidorumve motus perennes & reciproci, tot organorum, naturæ officinarum, coagmentatio & conformatio; mechanicæ tot muſculorum diſpoſitiones, ad omnem corporis actionem comparatæ, venarum arteriarumque ſanguinalium & lymphaticarum ſtupenda multitudo, infinita penè diviſio, nervorum toto corpore pertinentium innumeræ complicationes, elicum, ſecretoriorum ac

emissariorum ductuum tantus apparatus, tot sunt arma quorum ope sub omni morbo fit naturæ conamen, quo hostiles succos vel domet, vel abigat, vel eliminet. Interdùm verò natura salutem ægrotantis moliens victoriæ prorsùs impar, effœtis viribus vincitur ipsa; hinc cujuslibet morbi triplex exitus. 1°. Ad sanitatem, cum male morata liquida, præpollente Solidorum vi & robore, ad idiosyncrasiam reducuntur, aut per salutarem crisim foras amandari se sinunt. 2°. Ad alium morbum graviorem aut leviorem per *metastasim*, vel imperfectam crisim; cum scilicet noxia liquida, nec subacta, nec penitùs eliminata, Solidorum tamen elatere ad aliquam partem nobiliorem aut ignobiliorem transferuntur. 3°. Demum, & quidem infeliciter ad mortem; cum systaltica Solidorum virtus, præ deletrice Liquidorum qualitate, funditùs corruit. Dum autem primo & feliciori morbi exitu beari nequit æger, nec sub tertio lethali occumbit, se felicem fateatur, si devictâ mortis falce, gaudeat secundo morbi eventu; quo salutari *metaptosi*, exitiali morbo liberatus, in mitiorem alium inciderit. Sic secundarii morbi qui pristinam mutarunt sedem, sæpenumerò salutem afferunt. Nec minùs se beatum dicat is cujus natura, mediis etiam in ægrotationibus, ad sanitatem semper vergens, efficaci nisu, adversarios, malignosve humores, lethifera morbi semina, subegit, aut expulsit fausta mali victrix.

IV.

SALUTARES fieri metastases, pejorumque morborum vitationes, haud stupescet penès quem fuerit animalis œconomiæ cognitio. Organorum enim compages & virtus hanc imposuerunt naturæ necessitatem, quâ totis viribus in morbidæ materiæ subactionem & ad incernicula propulsionem contenderet, aut saltem, utpote sagax medicatrix, à nobili parte ad ignobilem eam ablegando, se sublevaret: sicque à periculosioribus malis viscera omnia expediret ac tueretur. Cùm enim creatus fuerat homo non periturus, in se condit vitæ semina, quibus & morbum & mortem ipsam luctando, eluctari conatur; ita ut inter ipsamet necis pericula videatur ad vitam ordinatus, & etiam graviùs ægrotans, innato sibi vitali principio, mille modis ad sanitatem tendat. Hinc tot & tam variæ crises, tot & tam diversæ metastases, tot & tam inopinatæ morborum solutiones, quas omnes, bonis ægrotantium rebus successuras, tot salutares verè dixeris morbos in quibus annuendis, immo & nonnunquam provocandis, non minùs versatur medentis industria, quam in illis avertendis nefas; fit quippe morbus aliquando morbi sanatio, inabsoluta quidem sub morbi transmutatione, aut adhuc vigente crisi; sed vitam morti proximam cum leviori & à periculo vacante morbo commutari, sanescere existima. Salubre quidem est, ægrum ad nihilum mox recasurum, ab orci faucibus ereptum, in tuto collocari.

V.

AMBIGIS nunc hæresque dubius utrum sub statu morboso quid salutaris esse possit? Hoc tamen non secus reperies in plurimis morborum judicationibus. Et verò quid salubrius *perirrhoeis*, quibus ex universo corporis ambitu humores in alveos & cavitates, veluti per emissaria quædam deponuntur, atque ita universum corpus hostilibus repurga- Περίρῥοιαι

tur succis, aliquando per alvum, aliquando per renes & vesicam, interdum per vomitum, aut alia corporis effluvia? Ad hunc modum, teste experientiâ, & observante divino Sene, summo observationum magistro, [a] *quibus in febribus aures obsurduerint, sanguis è naribus effluens, aut alvus exturbata, morbum solvit.* [b] *Mulieri, menstruis deficientibus, è naribus sanguinem fluere, bonum.* [c] *Caput laboranti & circumcirca dolenti, pus aut aqua, aut sanguis effluens per nares, aut per os, aut per aures, solvit morbum.* [d] *Melancholicis & nephriticis, hæmorrhoides supervenientes, bonum.* [e] *A longo alvi profluvio detento, sponte superveniens vomitus, alvi profluvium solvit.* [f] *Ophthalmiâ laborantem, ab alvi profluvio corripi, bonum.* [g] *Insanientibus, si varices, aut hæmorrhoïdes supervenerint, insaniæ solutio fit.* [h] *Si à leucophlegmatiâ detento, vehemens diarrhœa superveniat, morbum solvit.* Num sub confluentibus variolis pthyalismus in adultis, alvi fluxus in infantibus, tanti sunt momenti, ut si defecerint, præsens immineat vitæ discrimen? Num diarrhæa malignis febribus superveniens, lympham acrem nervosum genus infestantem, ad intestina appellendo, & spasmis, & deliriis, & soporosis affectibus occurrit? Num paralysis artus invadens, apoplexiam solvit? [i] *Num febrem convulsioni supervenire melius est, quàm febri convulsionem;* [k] *etenim à convulsione, vel tetano detentus, febre superveniente, liberatur.* Haud minùs inconcussa suppeditant hujus assertionis argumenta scabies, herpes, erysipelas, arthritis, bubones, achores, favi, &c. quæ si inauspicatò introcesserint, vanuerintque, vel præposterè sanata sint, lethales aut graves affectus inducere solent. Hæc autem aversurus est Medicus? contra, artis est solertia rursùs isthæc evocandi in quæ relabi prodest; quemadmodum quid simile interdum expedit promoveri cauteriis, epispasticis, cucurbitulis, frictionibus, & aliis hujuscemodi præsidiis quorum ope ab imis visceribus ad habitum avocatis pravis succis, inflicta mala ægrotantium saluti vertuntur; multi quippe sunt morbi qui juvant, & quibuscum tuta manet sanitas.

[a] Sect. 4. aph. 60.
[b] Sect. 5. aph. 33.
[c] Sect. 6. aph. 10.
[d] Sect. 6. aph. 11.
[e] Sect. 6. aph. 15.
[f] Sect. 6. aph. 17.
[g] Sect. 6. aph. 21.
[h] Sect. 7. aph. 29.
[i] Sect. 2. aph. 26.
[k] Sect. 4. aph. 57.

Ergo dantur salutares Morbi.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Claudius Brunet.	*M. Ludovicus Bourdelin è Regiâ Scientiarum Academiâ.*	*M. Joannes-Baptista Thomas Martinenq, Scholarum Professor.*
M. Ludovicus de Santeul.	*M. Michaël-Ludovicus Vernage, Medicus Regis ordinarius.*	*M. Franciscus Pousse.*
M. Emanuel-Mauricius du Verney.	*M. Joannes-Franciscus Leaulté, Chirurgiæ Professor.*	*M. Thomas-Bernardus Bertrand.*

Proponebat Parisiis, LUDOVICUS-PETRUS LE HOC, Rothomagæus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1729. à sextâ ad meridiem.

Typis G. F. QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1729.